

K. 4. 135.

1) Terminus, Gotofredus

not 21 - 18)

IN OBITVM
PRVDENTISSIMI
ET HONESTISSIMI VIRI,
D. BENEDICTI IEGGOVV, CONSVLIS
Reipub. Gardelegiensis, piè defuncti, XX. die
Nouemb. Anno M. D. Lxxx.

THRENI *Kf 130*

M. IOHANNIS SCHARLACHII. P. G.



M A G D E B U R G I.

(1570)

IM OBITVM

PRVDENTISSIMI

ET HONESTISSIMI VIRI

D. BENEDICTI LEGGOW, CONSVLIS

Reipub. Caroleensis, pfectissimi, X. X. die

Novemb. Anno M. D. LXXX.

THRENI

M. IOHANNIS SCHARFACHII P. G.



MAGDEBURG



ERVDITIONE, VIR
TVTE, ET FIDE PRAESTAN-
TIBVS VIRIS, D. Mag. ARNOLDO BIER-
STEDIO, Senatori Reipub. Gardeleg: IOHAN-
NISCHVLTZEN, CLEMENTI HVSELITH,
IACOBO ALBERTI, ARNOLDO BIERSTED
iuniori, ciuibus Gardeleg: relictis Generis
D. Cos: BENEDICTI IEG-
GOVV, S. D.

N vestri soceri beatiorem
Discessum tenues, viri colendi,
Versus cōposui (queam quid vltro?)
Pignus grati animi mei relinquens
Erga ipsum. Memori reuoluo mente
In me, quæ benefacta liberalis
Olim contulit, hîc Scholæ iuuentæ,
Cum doctis alijs viris præesse
Me quando voluit, Deus benignus.
Quin me post quoq; prosecutus vsq;
Est ardore pio, quoad superstes
Vixit, ceu reliquos simul ministros.
Ergò nos memori fidelis huius
Patroni decet esse, amici & aræ.
Expertus quoq; Consul est abundè,
Quod non absq; remuneratione

A ij

Diuina,

Diuina, datur vna panis vlli
Buccella, afferit hoc vt ipse Christus,
Non credant licet illud Eucliones,
Qui non dant obulum Scholæ, chorouè.
Ah in nomine suscipit prophetam
Qui Christi benè particeps Prophetæ
Fit mercedis, & à DEO repletur
Donis spiritualibus vicissim,
Gratus testor idipsum in hisce Threnis,
Effusis pietate singulari,
In vestri soceri migrationem.
Nam præmissimus in beata Regna,
Non amissimus, & sequemur, ipsum,
Cum nos Terminus imminens vocabit
Mox postrema diesq; congregabit
Omnes, Interea quiesce consul.
Vos verò eximij viri sereno
Hoc nostrum studium probate vultu,
Sic feliciter in Deo valete,



T H R E N I.

HEi mihi quam constat, positumq̄ est lege perenni,
 Ut constet genitum nil, quem paulò ante sedentem
 Egregios inter generos dulcesq̄ nepotes,
 Suspiciebamus Læti, nunc vulnere Lethi
 Confectum aspiciamus, tumultoq̄ includimus artus
 Rerum orbis saturos, ac vitæ lumine cassos.

Te Benedicte puto Ieggorū, dignissime consul,
 Ab te quod rapuit duri inclementia fati,
 Nostrisq̄ invidit terris, Te consule ciues
 Gaudebant, tristesmersum te funere flebant,
 Intellectus erat quibus, & non Læua nimis mens.
 Nōrant quod dederat pectus tibi mite, benigna
 Natura, & mores faciles, animumq̄ modestum.
 Lenis, comis, eras affabilis omnibus æquè,
 Digna viro grauitas inter simul illa nitebat,
 Turgidus haud fastu, non sæuæ deditus iræ,
 Non durus, non asper eras, nisi quando iubebat
 Irasci Deus, & Lex, contra turpia facta.

Non etenim irasci tunc, est crudelis amoris
 Hoc opus, atq̄ bonis nocet is, qui parcit iniquis.
 Consuli eras Collegæ Amelungo fidus Achates,
 Inter vos nec erant, memini quod, iurgia sæua,
 Mens in consilijs erat vna, ac vna voluntas,
 Cedere quin poteras si res tempusq̄ ferebant.

Commoda res valde est, quando sententia concors
 Coniungit fratres, & publica quæritur acri
 Utilitas studio, longè præfertur & illa
 Priuatis rebus, Virtus ô magna Regentum.
 Sit mundus quamuis ingratus, gratus Olympus
 Est tamen, in cælo, mercedis copia restat,
 Si præeunte fide facimus quæ functio mandat.

O quantum decus amisit Respub. nostra,
 Hoc orbata viro, forsannum Curia nuper

A ij

Fulmine



Fulmine tacta locis multis, portendit idipsum?
Comprobat euentus non frustra fulmina mitti,
Crinitas ferri frustra nec in aëre stellas.

Romulus & Remus disiecti in marmore quando
Lactentes sub matre Lupa sunt fulmine, Romæ,
Sunt gladij (dirum) cognata in viscera versi,
Omina suntq; manentq; ab omina, Christe gubernans
Hac supra, à nobis clades auerte malignas,
Bellaq; pelle, famem, pestes, incendia, raptus.

Nec minus est signum Venturæ cladis, ab orbe
Quando Magistratus Deus auocat ipse fideles,
Ac sanctos alios, placidumq; intrare cubile
Hos iubet, vt reliquos ad publica damna reseruet,
Ceu canit Amosides: Iustus perit, at quotus illud
Quisq; pio corde expendit, sancti abripiuntur,
Et fermè est nemo, sobria qui mente reuoluat
Talia fata Virum, pietas quos iungit Olympo.
Discite quapropter moniti, cum funere iustus
Abripitur Lethi, magnos instare tumultus,
In pacem ast veniunt sancti, tumultusq; cubile
Fit placidum, requiesq; ipsis contingit in vrna.

Sic ait: Admoniti cives nos ergo senatum
Orbari iam saepe viris præstantibus, omen
Infaustum ducamus, & ad pia vota ierisi.
Supplice voce Deum veniam poscamus, & ausus
Linquamus, Numen quibus irritatur ad iram,
Quam tot iam nobis signis prænunciat, ô quàm
Est felix, cui contingit sua membra sequestro
Tradere iam tumulo, Velut ad me consul ad ipsum
Quando accedebam aiebat, dextraq; premebat,
Fortiter ipse meam, capite ac reuerenter aperto
Addebat, Cupio dissolui, & linquere mundum,
Quando iubet Dominus, placida sum mente paratus.

Ab benè qui viuit moritur benè, sospite vita
Assiduò intererat templo, votisq; piorum.

Nulla

Nulla animaduerti sacri fastidia verbi,
Et somnum nullum, quando auscultabat, in ipso,
Ut sopor in templis multis iucunda voluptas
Ducitur, ô misera ista, ô excutienda voluptas.
Et, quod commemoro vera cum laude, solebat
Exire è templo raro, benedictio ad aram
Ni fuerat recitata, ac omnia sacra peracta.
Sunt homines, qui cum vix orta est concio sacra,
Et templis fugiunt, quasi flamma in crinibus ignis
Hereat, ac nullos fructus oratio donet,
Vel ritus Cœnæ, Benedictio dicta q̄ ad aram:
Ipse tibi Dominus benedicat, te tueatur:
Te super extendat sua lumina, sit tibi clemens:
Te super attollat faciem, ac donet tibi pacem.
Qui sapit, ista super se dici expectat anhelans,
Applicat atq̄ fide firma sibi dulcia valde,
Hæc promissa DEI, memoriq̄ ea mente reuoluit,
Dicere namq̄ DEI facere est, promissaq̄ præstat
His, qui non dubitante fide sua verba præhendunt.
Non frustra seruire sibi Deus arbiter orbis,
Namq̄ sinit, nouitq̄ suos ac præmia confert,
Gratuita bonitate suis cultoribus æquus.
Felici est vsus nam sorte superflite vita,
Spiritus in Psalmis quæ corde timentibus imo
Æternum Dominum promittit munera, consul.
Percepit, donec vixit, Benedictus ab ipso
Nomine, req̄ Deo. Felicia fœdera lecti,
Et dulcem prolem vidit, multosq̄ nepotes,
Ac super Israël tranquilla commoda pacis.
Pro quibus assiduò toto quoq̄ pectore grates
Dicebat Domino, pietati deditus omni,
Præmia quæ præsentis habet secliq̄ futuri:
Glorifico, Deus ipse inquit, me glorificantem,
Et me temnentem contemptum reddo potenter.
Vis & pondus inest his magnum, credite, verbis,

Mortales,

Mortales, sitq̄ hac vestra cen Regula vita,
Glorificate Deum, nec temnite corde feroci;

CruX admixta licet fuerit, nam duriter ipsum
Afflixit casus quidam: dispensat vt ipse
Hec Deus, vt sint mixta malis bona, dulcia amaris,
Instar agit medici fidi, complexio nostra
Plenius est ipsi, quam nobis, cognita, nouit,
Quid sit conueniens quid non, sic cuncta ministrat.
Cur hoc, cur illud permittat, nescius haud est,
Elicere èq̄ malis ipsis Deus optima nouit.

Nec supra vires onerat, patientibus addit
Namq̄ animi robur, superant quo dura fideles,
Iuncta fides quando est, spes & patientia votis,
His consul, nos his superamus enim aspera fata.

Insuper attribuit felicem funeris horam
Omnipotens ipsi, quod sæpe poposcerat, orans
Poscere quodq̄ sibi Generos, Natasq̄, monebat
Præsentes, nec se turbari fletibus vllis.
Felicis obitus nancisci præstat abunde
Diuitijs, gemmis, & honoribus omnibus orbis.

Iosia Regi Dominus promittit vt ingens,
Et cæleste bonum, quod eum velit ante futura
Damna, malos oppressura eripere atq̄ sepulchro
Abdere, ne videat superum collectus ad agmen,
(Sanctorum mors est, dicit, collectio ad agmen,
Quod viuit coram Domino, fruiturq̄ quiete)
Assyrios enses, damna accumulataq̄ damnis,
Prædictam totiesq̄, effusam Vindicis iram
Atrocem, super horrenda ac atrocita facta,
Sic nos eripimus Natos, cum turbine terras
Horrisco perflant venti, ac ruit imbribus Auster,
Obuia prosteruens, ac tutis abdimus antris,
An non pro lucro mors est? optabile sænus,
Est funus, moritur si quis modo firmiter hærens
In Christo,, nitens atq̄ eius sanguine fuso

Pro

Pro sese, est illi quid mors nisi ianua vitæ
 Immortalis, & à damnis secessio mundi?
 Ergo tibi consul tantum gratamur honorem,
 Ereptus damnis, & vitæ sordibus huius,
 In Christi gremio cælestia gaudia viuus
 Percipis, hunc etenim sub mortis agoneprehendens,
 Exhalasti animam, vix attendentibus illis,
 Qui circumstabant, quos quando silere iubebas,
 Te dormire parum velle, en placidè atq; repenti
 In Christo Iesu obdormis, monstrasq; re ipsa,
 Quod mors sit somnus, sit amica quiesq; piorum,
 Qua saturi rerum mundi soluuntur, & intrant
 Tranquillum pacis, dum transeat ira, cubile,
 Ergo voluntati Domini se subijcit vltro
 Consul, & est certus, quod mors reparatio vitæ est,
 Pollicitis Christi moritur constanter inherens:
 Sermonem quicumq; meum seruauerit, in me
 Confidens hic mortem non gustabit in æuum.
 Namq; Deus mundum tanto complexus amore est,
 Ut daret huic Natum vnigenam placatus, vt omnis
 Iustificante fide edoctus, qui nititur ipso
 Non pereat, sed vitæ aternæ migret in aulam.
 His sanctè immoritur verbis, quod credidit, ergo
 Obtinuit, nouus est illatus ciuis Olympo.
 In cælis etenim verum est πολίτωμα piorum,
 Lux Deitatis vbi plenè per aperta relucet,
 Unde omnes Saluatorem expectamus Iesum,
 Corpus vt hoc humile excitum tellure reformet,
 Corpori idemq; suo faciat conforme, potenti
 Virtute in mundo sibi qua Deus omnia subdit.
 His se sustentent Generi, Vidua atq; Nepotes.
 Quotidie imminuit numerum Deus autor eorum,
 Est cordi quibus audire, ac addiscere verbum,
 Quiq; suis poterant sepem interponere votis,
 Et stare oppositi, ne plenam effunderet iram

B

Offensum



Offensum Numen, precibusq; auertere clades
Horrendas, & iam iamq; impendentia damna.
Hinc quid conijciam? Nisi quâ data porta quod in nos
O prædicta diu, sit fors ruitura dolenda.
Interea hos consul Threnos tibi dedico mæstus,
Ingratus nec ero, si forsan nemini adolor,
Ac vitia inclamo, personas haud tamen odi,
Sal, Christus dicit, terræ estis, non fel amarum.

Collegam Dominus conuersum seruet in annos
Complures Pater vt patriæ, Nutricius aræ
Permaneant, reliquos & sanctè transigat annos.
Det successori sapiens cor, mite, benignum,
Ac animum veri, iusti, rectiq; tenacem,
Nomini inest omen, det mundum pectus, & ora,
Utq; oculus videat, faciat Deus, audiat auris,
Namq; vtrumq; facit, qui regna tuetur, & Vrbes,
Aut transfert quoties id crimina nostra merentur.

Sed tu summe Deus, nostri miserere benigne
Condonans culpas qui nobis omnia donas
Cum proprio Nato, Veniant mala & omina in hostes,
Vidimus hei cladis prænuncia signa, futuræ,
Mirandam stellam, atq; trabes, & chasmata passim,
Quis non cernit adhuc, diros flagrare Cometæ.
Non satis in Physicis causæ est, te teste Philippo,
Cur flagrent, & sic moueantur in aëre, Virgæ
Ardentes illæ, sunt excedentia captum,
Signa Dei, humanum, certò importantia clades
Inferiori orbi magnas, ac horrida fata,
Quæ Deus his facibus succensis, signat ab alto.
Vidimus infaustos Solis Lunæq; labores,
Atq; futurorum præludia in aëre ferri
Bellorum, & finis iam mundo instantis onusto,
Vidimus, & crudo stagnantes sanguine fontes,
Monstrosos partus, tremuit quoq; Saxonis ora
Motibus insolitis, pluit ipsum sulphure cælum.

Fruges

*Fruges, & mures, quoq; sunt ex aëre lapsi.
Fallor an à Domino Dominus citò sulphur & ignem,
Accipiens ærumnarum vallem igne cremabit,
In cineres redigens subitò tenuesq; fauillas,
Fædatum hospitium, natura gemiscit, abusum
Omnem detestans, vacua esse & sordibus optat.*

*Interea Consul tranquilla in pace quiesce,
Expectaq; parum, mox clara in luce redibit
Filius ipse DEI, te nosq; leuabit in altum,
Ad Dextram ipsius, nosq; à fœtentibus Hircis
Seiunctos, statuet, facietq; audire sonoram
Hanc vocem: Benedicta meo iam turba parenti,
Enge veni, Regnis succede à Patre paratis,
Principiò tibi, Me dapibus potuq; carentem
Fouisti, Largaq; manu mea damna leuasti,
Extorrem me suscepisti intra hospita tecta,
Velaſti nudum me, frigora duraq; passum,
Ægrum, ac expertum tenebroſi carceris umbras
Inuiſti: huc accede, & mea Regna subintra.
Nomine facta meo, præeunte fideq; ministris,
Atq; meis minimis membris, in paupere forma,
Hæc mihi facta reor verè, memoriq; recondens
Mente, palàm fidei ceu veſtræ hîc prædico signa.
O tunc quanta pias complebunt gaudia mentes.*

BREVE EPITAPHIUM
annum obitus indicans.

*CONSULIS HIC BENEDICTI IEGGOR OSSA QUIESCANT,
SPIRITVS IN CHRISTO DONA BEATA TENET.*

B ij

Aliud.

A L I V D.

Χρησὸς ἀνὴρ ἀγαθὸν κοινὸν πέλεται καὶ ἀληθῶς
 κάλλιμόν ἐσι γέρας Ἰδ' ἀγαδοῖο δεῖ.
 ἔνδραμον πολίτηρον ἢ ὅ τοις τὸς ἀνάσσει,
 ἔρτε δικαιοσύνη δὲσθ' ἅπαντα νέμει.
 ἠδὲ φιλήσυχος ἐσι, δμῶσθ' ἀσκήριος ἠδὲ,
 ὥτε μέμηλε πρὶ χησιμά πόλλα τελεῖ.
 τοις τὸ βενεδικτὸς ἰεγγὺ πατρὶδι γαίᾳ
 ἢ συμβῶλ' ἀνὴρ ἐρβίω ἡματίω.
 ὡσ' αὐτὸν νῦρ μοῖρα ἀμάυρη ἤρειε ἀφ' ἡμῶν
 πενδῶσθ' πᾶσα πόλις πλῆδεται ἀργαλέσθ'.
 ἠδὲ χεῖρ ἐπὶ τύμβον δάκρυα πρὶλλὰ, λαλῆτε:
 οἱ μοι, χησὸσθ' εἴω, ἐνδὰδε κῆται ἀνὴρ.

DISTICHON IN TV
MVLVM D. COS: IOHANNIS
TRVSTEDT, similitur annum
obitus numerans.

Iohannis Truſtedt hīc tellus contegit offa,
 Spiritus in Christo gaudia plena capit.

VSITATA PRECA
TIO PRO FELICI MIGRA
TIONE EX HAC MORTALI VITA,
utriq; Consuli grata.

Ad

A D M O D V M C A R M:

Iam mæsta quiesce querela.



Christe Redemptor Iesu,
Deus ac homo, qui graue passus
Es supplicium in cruce pro me
Patrem & mihi conciliaſti.

Per vulnera te tua acerba,
Rogo propicius mihi lapsus
Dimitte graues, in agone
Et mortis adesto iacenti.

Cum lumina contegit vmbra,
Auditus obit neq; munus,
Vox faucibus hæret & ingens
Angustia cor premit arctum.

Mentis careoq; vigore,
Fomenta hominumq; recedunt,
In fine meæ mihi vitæ,
Properè o fer opem bone I E S V.

Ex carcere me lacrymarum,
Duc abbreviaq; dolores
Obitus, furiasq; repellens
Cum Flamine sis mihi præsto,

Dum linqvit ouans anima artus,
Quam suscipiat tua dextra,
At corpus humo requiescat
Donec poli ab arce redibis.

B iij

Da

Da te reuocante resurgam,
Lætus, mihi ades Mediator,
Vt crimine purus ab omni
Subeam cœlestia regna.

Es pollicitus mihi idipsum:
Amen assero certò ego vobis,
Quicumq; meum retinebit
Sermonem, animo mihi adherens,

Is non veniet perimendus
In iudicium, neq; mortem
Gustabit in igne gehennæ,
Nec mortuus, interit vnquam.

Validæ nam viribus ipsum
Dextræ, è tumulto releuabo,
Ac in mea regna reponam,
Vbi gaudia summa capeffet.

AEternaq; participabit
Mecum bona ciuis olympi,
Quæ conferat optima nobis
Tua gratia munera Christe.

Ah debita cuncta remitte
Nobis Deus, atq; iuuato
Patienter vt emoriamur,
Aderit cum funeris hora.

Sobrij inq; fide vigilemus,
Promissa Dei retinentes,

Donec

Donec sopor occupat artus
Lassos, anima astra petente.

MAGDEBURGI
IMPRIMEBAT AN.
DREAS GEHEN.



M. D. LXXXI.

M. A. T. H. E. I. S. T. A. N. T.


M. A. T. H. E. I. S. T. A. N. T.

M. A. T. H. E. I. S. T. A. N. T.



M. D. L. X. X. I. I.





B.I.G.

Farbkarte #13



ITVM
TISSIMI
ISSIMI VIRI,
GGOVV, CONSVLIS
piè defuncti, XX. die
M. D. LXXX.

ENIK 130
HARLACHII. P. G.



B V R G I.

570 /